



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

2. An Cardinalatus sit ordo, & Papa possit illum extinguere? Ex quo etiam infertur, an Pontifex possit extinguere Patriarchas, & Archiepiscopos? Et an Cardinalatus sit de iure Diuino, vel tantum de ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

## RESOL. II.

An Cardinalatus sit Ordo, & an Papa possit illum extinguere?

Ex quo etiam inferitur, an Pontifex possit extinguere Patriarchas, & Archiepiscopos?

Et an Cardinalatus sit de iure Dinino, vel tantum de iure Pontificio institutus? Ex part. 5. tr. 2. Ref. 2.

Sup. hoc in tom. 4. tr. 8. ex Ref. 4. lege §. 1.

§. 1. Negatiuam sententiam docet Fernandez in exam. Theolog. moral. part. 3. c. 11. §. 4. num. 6. Ledesma in 2. 2. part. 4. q. 2. art. 6. Sotus in 4. dist. 24. q. 2. art. 4. Sanchez in opusc. 10. 2. lib. 7. c. 1. dub. 10. n. 2. Palacius in 4. dist. 24. q. 3. & alij asserentes Cardinalatum non esse Ordinem, nec Sacramentum, quia nullo modo ordinatur ad Eucharistiam, nec confert gratiam, & ideo Cardinalatus, vt inter alios docet Baldellus tom. 1. lib. 5. disput. 7. num. 11. Suarez de legibus lib. 4. cap. 6. num. 5. Azorius tom. 2. lib. 4. cap. 1. quest. 3. Bonacina tract. de elect. Summi Pontificis, disput. 1. quest. 1. punct. 1. §. 3. non est iure diuino, sed iure Pontificio institutus, quia non habetur locus in sacris literis, vbi sit institutus, nec habetur traditio de hoc. Vnde inferunt Palacius, & Sanchez, posse Pontificem extinguere Cardinales, sicut etiam potest extinguere Patriarchas, & Archiepiscopos, quia potest in iure humano dispensare, & ita etiam docet Moneta de commutat. vlt. volun. cap. 12. num. 78. Barbatius conf. 1. num. 14. & Azorius tom. 2. lib. 4. cap. 1. quest. 3.

Quamuis non plene sup. hoc lege tamen §. not. praterita, & si placet vide eius Ref. per totam.

2. Non desinam tamen hic adnotare Matthiam Vgonium de Conciliis, fol. 59. col. 3. §. 4. Borellum in summa omnium decisionum tit. 5. num. 8. Manfredum tract. de Cardinal. quest. 105. Lancellotum in templo iud. lib. 2. cap. 2. §. 1. Villadiego de Cardinal. quest. 1. Iacobarium de Concil. lib. 1. art. 12. Ojeda de beneficiis in prafat. n. 5. Turcrematam lib. 1. de Ecclesia. c. 80. n. 1. Augustinum Triumphum tract. de potest. Ecclesia quest. 102. D. Antonium part. 3. tit. 21. cap. 1. & 2. Laudensem tract. de Cardinal. quest. 1. num. 7. & Albanum fuse tract. de Cardinal. quest. 5. docere Cardinalatum esse de iure diuino. Et hanc opinionem colligunt ex c. per venerabilem, qui filij sine legitimi §. rationibus, vbi Pontifex ait suos Fratres, quos sic vocat ipsos Cardinales, in Leuitici generis Sacerdotibus fuisse adumbratos: & deducitur etiam ex c. fundamenta, de elect. in 6. §. docet. 1. Deinde, quia Cardinales videntur 72. Christi Domini discipulis successisse, qui fuere duodecim Apostolorum adiutores, sicut Cardinales sunt Romano Pontifici à consiliis, Accedit quod dicitur 1. Regem 2. Domini sunt cardines terra, & posuit super eos orbem. Eugen. IV. in epist. ad Episc. Cantuar. vbi supra à cit. ait Apostolos Christo Domino assidentes figuram retulisse Cardinalium, qui Romano Pontifici adstant. Apostolos verò in totum terrarum orbem missos ad Euangelium annuntiandum, typum & similitudinem tenuisse Episcoporum, qui sunt per Provincias distributi. Et ita ex his non posse Summum Pontificem extinguere ceterum Cardinalium, docuit ex notericiis Cucchus in insit. Canon. lib. 2. tit. 4. num. 52. Lancellotus in templo iud. lib. 2. c. 2. de Cardinal. §. 3. n. 27. Manfredus de Cardin. decis. 112. Iodochus Lorichius in Thesaur. Theol. ver. Cardinalis §. 10. vbi sic ait: Cardinalatus ordinem Summus Pontifex non potest extinguere, quoniam iuris diuini est, præfiguratus in Sacerdotibus Leuitici generis, ad quos simul & iudicem difficulta, atque ambigua iudicia referebantur, Deuter. 17. & summa Ecclesie necessitas ita expostulat, vt in præcedentibus declaratum est: & si quoque nomen & splendor dignitatis ab eis au-

ferri possint, tamen officij ipsorum potestas ab Ecclesia nullatenus excludi debet, ac potest. Vt enim Deus olim Moyse iunxit septuaginta viros, eisque de spiritu ipsius dedit, vt sustentarent cum eo onus populi, ne ipse solus grauaretur; ita Summo Pontifici ad sustentandum onus vniuersalis Ecclesie necessarii sunt Cardinales, id est, viri sapientes, seu alio nomine vocentur. Ita Lorichius. Et hæc sunt placita Doctorum circa præsentem questionem, licet prima sententia sit communiter recepta, & tenenda.

## RESOL. III.

An Pontifex possit ardua Ecclesia sine consilio Cardinalium definire? Ex part. 5. tract. 2. Refol. 4.

§. 1. Negatiuam sententiam docet Archidiaconus in cap. sicut quidam 25. q. 1. & in c. cum redemptor 12. q. 2. Cardinalis in conf. 150. & in c. perpendimus, de sent. excom. & in c. licet, de elect. Monachus & Dominicus in c. super eo, de heret. in 6. & hanc opinionem esse potiorē dixit Ripa rubrica de constitut. n. 20. & quam plures alij, quos refert Laudenis de Cardinal. 9. 45. & Albanus de Cardinal. 9. 39. & Barbatius vol. 4. conf. 40. asserit Collegium Cardinalium quasi possessionem habere, ne sine eorum consensu ardua negotia expedit Summus Pontifex, cuiusmodi sunt creare Cardinales, Episcopos transferre, generalem legem promulgare, scuda magna concedere, Legatum à latere mittere, bellum indicere, alienare res pretiosas Ecclesie, & similia. Probant hanc opinionem ex c. per venerabilem, vers. rationibus, qui filij sine legitimi, vbi Romanus Pontifex videtur asserere Cardinales in simul esse conuictees cum Romano Pontifice; quemadmodum in Deut. Sacerdotes Leuitici erant cum supremo iudice, atque ita eundem Pontificem sine illis Ecclesie negotia expedire non posse. Deinde quia videtur Cardinales hodie Apostolorum vice fungi, quos parem potestatem cum Petro habuisse probat text. in c. in nouo, ibi, pari consortio, 21. dist. 1. ac subinde etiam illos quoque cum Pontifice circa Ecclesie negotia habere potestatem. Tandemque asserunt aliqua de hac re exempla, nempe Benedictum XI. suspendisse statuta, quæ Bonifacius sine Cardinalibus Marchianis confirmauerat.

2. Sed his non obstantibus contraria sententia communiter adherent Doctores, nempe Romanum summumque Pontificem Ecclesie negotia sine Cardinalium consilio expedire posse, neque ad hoc necessitate astringi, cum supremam & vniuersalem super omnes solus à Christo Domino acceperit potestatem, Ioan. 21. ipseque solus illius plenitudinem habeat, & exerceat, vt probat eleganter text. in c. multum 2. quest. 6. cap. cum ex eo, de penit. & remiss. cum mille aliis vulgaribus, quæ quidem potestatis plenitudo maxima ex parte offenderetur, si non posset ardua sine Cardinalibus tractare & definire. Accedit quod iura passim proclamant, maiora Ecclesie negotia ad Sedem Apostolicam esse referenda, cap. rogamus, cap. quoties 24. quest. 1. cap. dudum 3. quest. 4. cap. maiores, de Baptismo. Hanc autem Sedem Apostolicam solum tenere Romanum Pontificem, probat text. in cap. hæc est fides 24. quest. 1. Vide Paulum de Castro in l. 1. n. 5. ff. de legibus. Panormitanum in c. 2. n. 3. de Cler. non resident. & doctum Iurifconsultum Valenzuela in Mon. Pauli V. part. 6. num. 97. & 98. cum Morla in tempor. iur. part. 1. tit. 1. q. 3. num. 13. qui latè hanc discutit questionem.

3. Verum licet hæc opinio sit tenenda, fatendum tamen